C

NOMINA.

Esula rotunda.

ΠΕΠΛΟΣ Græcis, Peplos Latinis, officinis & uulgo Esula rotunda, Germanis Teufelßmilch appellatur.

FORMA.

Exiguus frutex est albo liquore plenus: folijs paruis ut Rutæ, latioribus tamen. Tota eius coma dodrantalis, rotunda, humi fusa: semine sub folijs paruo & rotundo, minore quàm candidi papaueris. Radice una, ex qua totus frutex prouenit.

LOCVS.

Nascitur in hortis & uineis.

TEMPVS.

Colligitur messibus, siccaturq; in umbra, & continuè uertitur.

TEMPERAMENTVM.

Idem cum Tithymallis habet temperamentū, atqueadeo ex quarto calefacientium ordine est.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Herba ipsa multos habet usus, radix uerò inutilis. Semen eius tusum, feruidaq; aqua madefactū reconditur. Pituitam & bilem acetabuli pondere cum hydromelitis cyatho potū ducit. Obsonijs mixta herba aluū conturbat. Condîtur in muria.

EX GALENO.

Peplos frutex liquorem similem Tithymallis habet, cum in alijs, tum quia purgat ceu illi.

EX AETIO.

Pituitam ac bilem ducit acetabuli mensura cum mulsæ cyatho bibitum Pepli semen. Sale etiam herba maceratur, flatusq; discutit, ut Hippocrates asserit. Summopere igitur confert flatuosis affectibus, qui in melancholia dominantur, item diuturnis lienis & uteri & coli flatibus, tumefactisq; œdematibus in abdomine. D

EX PLINIO.

Semine Pepli poto aluus soluitur, bilis ac pituita detrahitur. Media potio est acetabuli mensura, in aquæ mulsæ heminis tribus. Et cibis inspergitur obsonijsq; ad molliendam aluum.

DE PILOSELLA▸ CAP▸ CCXXX▸

NOMINA.

QVonomine ueteribus Græcis aut Latinis nominata sit hæc herba, ingenuè fateor me ignorare. Neq; enim est μυόσωτις Dioscoridis. Cum itaque græco & latino nomine destitueremur, barbaro uti nobis necesse fuit, nisi planè herbam hanc uulneribus glutinandis mirè utilem, præterire uoluissemus. Herbarij itaq; nostræ ætatis à copiosis pilis quibus uestitur, Piloselam, Germani Meußörlin/uocant.

Piloſella unde dicta.

GENERA.

Maior. Minor. Duo eius herbæ genera reperiuntur, in nullo ferè nisi floribus distantia. Vnum genus maioribus folijs, & quæ se à solo sustollunt, floribusq; luteis, maior Piloſella nominatur, Germanis propriè Nagelkraut. Alterū minoribus folijs, in terra sessilibus, floribus purpureis, & quasi in pappum euanescentibus, Germanis Meußörlin/oder Hasenpfätlin peculiariter appellatur. Sic etiam suam Piloſellam manuscriptus herbarius in maiorem & minorem digessit.

FORMA.

Herba est folijs in terram graminis modo sparsis, pilosis, albicantibus à terra, superne

PILOSELLA
MAIOR.